Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36487
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

nostra mortali. Non propter opera mala: sed propter corpus eius id est ecclesiam patimur
quod ille passus est pro nobis. ut vita eius hoc est aeterna manifestetur in carne
nostra mortali ut possit fieri inmortalis. Nondum enim apparuit
quid erimus. Ergo mors operatur in nobis. vita autem in vobis. Numquid semper
in nobis erit mors. et in vobis vita. ut futura et praesens. Increpat eos qui
falsis apostolis dicentibus crediderunt. idcirco paulum in passionibus
subiacere quia fidei sit minoris. se vero pro fide tribulari non posse.
E contrario quos ostendit se propter fidem talia sustinere. illos vero causa odii
non habere per adolationem atque desidiam. Unde et ad galathas ait. Qui
volunt in carne placere. tantum ut crucis Christi persecutionem minime
patiantur. Item. Apostoli evangelium praedicantes persecutionem sustinebant propter
vitam et illuminationem eorum quos docebant. Habentes autem eundem spiritum
fidei. sicut scriptum est in psalmo. credidi propter quod locutus sum: et nos credi
mus propter quod et loquimur. Hoc testimonium credere probat. Si enim ille
ideo quia credidit loquebatur. nemo enim sane mentis alteri adfirmat
quod ipse non credit. ergo et nos qui loquimur. inquit credimus. quia etiam propterea
tribulamur. Scientes quoniam qui suscitavit ihesum. firmiter tenentes hanc
fidem. quam nec morte divellimur. Et nos cum ihesu suscitavit. et constitu
et vobiscum. Sicut illum suscitavit. etiam si pro eo mortui fuerimus.
Omnia autem propter vos. Omnia ideo patimur quia fideliter vestram salutem queri
mus et optamus. Ut gratia abundans per multos gratiarum actiones abun
dent in gloriam dei. Habet sensus per multitudinem credentium propter
gratiam habundantem et gratiarum actio habundet in gloriam dei. Propter
quod non deficimus. Propter vos et propter gloriam dei in omnibus tribula
tionibus et obprobriis non cessamus. Sed licet is qui foris est noster homo corrum
patur. tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Licet corpus
passionum iniuriis corrumpatur. anima autem spe futurae cottidie con
firmatur ad omnia sustinenda. Id enim quod in praesenti est momentaneum
et leve tribulationis nostrae. Praesens tribulatio quantolibet tempore
perseverans ad comparationem inmensam aeternae gloriae et brevis et fa
cilis est. sicut ad romanos ait. Existimo enim quod non sunt con
digne passiones huius temporis ad futuram gloriam. Supra